



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Cursus Theologico-Moralis

Ad usum Tyronum elucubratus, Et in Quotidianis Prælectionibus
Quoad ea, quæ Moralis Theologia disputat De Sacramentis, & Censuris

Viva, Domenico

Patavii, 1723

Art. VII. De Impedimento Affinitatis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40650

eadem. Orbis Christiani approbatam fuisse dispensationem Julii II., quod Henricus VIII. Rex Angliæ nuberet Catharinæ filia Regis Hispaniarum Viduæ Principis de Galles fratris ejusdem Henrici. Verum quidem est, S. Joannem Baptistam dixisse Herodi Matth. 14. *Non licet tibi habere uxorem fratris tui*; Sed id non licebat, vel quia Herodes habebat illam adhuc vivo fratre suo, ut exponit Hieronymus; vel, ut alii, quia contra legem Judaicam habebat talem uxorem; Nam Levit. 18. prohibebatur, fratrem copulari uxori fratris defuncti, quando frater reliquerat semen, ut acciderat in casu nostro.

X. Quærendum superest, non quidem ad praxim, sed ad profundam intelligentiam doctrinæ; An jure naturæ irritum sit matrimonium inter Patrem, & filiam, vel inter matrem, & filium; ita ut Pontifex in eo dispensare non possit, etiam si in Orbe solus Pater, & filia essent superstites, & ipse Pontifex esset inhabilis ad generandum?

Respondeo, Perez disp. 38. sect. 3. docere, quod in tali casu nec Deus ipse posset dispensare, eo quod tale matrimonium sit intrinsece malum, non secus ac mendacium, & libido contra naturam. Verum quamvis communiter Doctores, & Juristæ doceant, esse jure naturæ irritum tale matrimonium, ita ut Pontifex in eo dispensare non possit; multi tamen cum Pont., Henr., Filliuc., Sanch. lib. 7. disp. 51., & aliis apud Dian. part. 8. tract. 1. resol. 71. docent, quod possit etiam ex urgentissima causa illud cohonestari; sicut occisio innocentis cohonestatur, accedente Dei præcepto. Unde docent, in casu extremæ necessitatis propagandi genus humanum matrimonium inter Patrem, & filiam esse licitum; quia in

in tali casu potius prævaleret obligatio conservandi genus humanum, quam obligatio non contrahendi cum Parentibus, orta ex reverentia naturali illis debita. Nam damnum privatum irreverentiæ Paternæ confurgens ex tali matrimonio debet cedere, & cohonestari propter bonum commune conservationis speciei humanæ, quod est altioris ordinis.

Hinc fit, quod in tali casu Pontifex non dispensaret, sed solum declararet obligationem naturalem non contrahendi cum Parentibus cedere de facto alteri præstantiori obligationi naturali conservandi genus humanum; Sicut obligatio naturalis non occidendi innocentem cedit alteri præstantiori obligationi naturali obediendi præcepto Dei, qui est Dominus vitæ innocentis: Contra vero in matrimonio inter fratrem, & sororem, ac inter Avum, & Nepotem, necnon in primo gradu affinitatis potest absolute Pontifex dispensare; Nec si ea matrimonia inter Infideles contrahantur, sunt jure naturæ irrita, sed solum de facto sunt irrita jure positivo, in quo Pontifex Legislator potest dispensare, ut offendimus contra nonnullos.

ARTICULUS VII.

De Impedimento Affinitatis.

- I. *Quid sit Affinitas? Et quomodo Affinitas non pariat Affinitatem?*
- II. *Ea dirimit Matrimonium usque ad quartum gradum, si oriatur ex copula licita; usque ad secundum vero, si ex fornicaria.*
- III. *Si matrimonium sit ratum, & non consummatum, contrahitur impedimentum publica honestatis usque ad quartum gradum, non vero affinitatis.*
- IV. *Probabilius non est jure naturali irritum matrimonium inter Præ-*
gnum,

gnum, & Novercam.
 V. Affinitas matrimonio superveniens
 quid ferat?

I. Impedimentum affinitatis impedimento cognationis annectimus propter connexionem, quam habent. Est autem Affinitas vinculum, seu propinquitas Personarum orta ex carnali copula licita, vel illicita; Si enim Titius cognoscit carnaliter Bertam, eo ipso fit affinis cum consanguineis Bertæ in eo gradu, in quo sunt cum Berta consanguinei; Verbi gratia, quia Soror Bertæ est illi consanguinea in primo gradu, ideo soror Bertæ fit affinis Titio in primo gradu; & quia consobrina Bertæ est illi consanguinea in secundo gradu, ideo fit Titio affinis in secundo gradu; Et idem dicas de Berta relate ad consanguineos Titii: Notandum tamen, quod consanguinei Titii cum consanguineis Bertæ nullam contrahant affinitatem; Verbi gratia, Frater Titii non fit affinis Sorori Bertæ, quia affinitas non parit affinitatem. Hinc duo fratres possunt ducere duas sorores, necnon Pater, & filius ducere possunt matrem, & filiam: Eodem modo Titius mortua Berta conjuge potest ducere in uxorem Tereciam cognatam Bertæ, seu quæ fuerat uxor fratris Bertæ.

II. Queritur nunc primo; Usque ad quem gradum Affinitas sit impedimentum dirimens matrimonium?

Respondeo, ex copula licita hoc impedimentum dirimere matrimonium usque ad quartum gradum; ex copula vero fornicaria illicita dirimere usque ad secundum gradum. Unde Titius, mortua Berta uxore, nequit ducere ejus sororem, nec consobrinam, nec filiam consobrinæ, nec neptem consobrinæ, aut aliam consanguineam Bertæ in quarto gradu: Si tamen Titius cognoscat illicite Te-

resciam, nec ejus sororem, nec consobrinam ducere potest, nec aliam consanguineam Tereciæ in secundo gradu.

III. Notandum tamen, affinitatem contrahi dumtaxat ex matrimonio consummato, non vero ex rato; quia affinitas oritur, ut diximus, ex copula, & quidem ex copula apta ad generationem, per quam conjuges fiunt una caro, ex *cap. Debitum 5. de Bigamis*; Ex matrimonio autem rato solum oritur impedimentum publicæ honestatis dirimens etiam matrimonium usque ad quartum gradum.

IV. Dubium est; Jure Ecclesiastico, an jure naturæ affinitas dirimat matrimonium in primo gradu saltem lineæ rectæ? Diximus art. super., certum esse, quod affinitas jure solum Ecclesiastico dirimat matrimonium in primo gradu lineæ transversalis; cum certum sit contra hæreticos, potuisse Pontificem Julium II., dispensare, quod Henricus VIII. Rex Angliæ duceret uxorem Catharinam, quæ fuerat uxor sui fratris; & Genes. 29. habemus, Jacob duas sorores duxisse, Liam, & Rachelem. Quare difficultas solum est, an jure naturæ affinitas dirimat matrimonium in primo gradu lineæ rectæ, Verbi gratia, inter Privignum, & Novercam; sicut jure naturæ, ut diximus, consanguinitas in primo gradu lineæ rectæ dirimit matrimonium? Quamvis Valent., & Con. id asserant; probabiliorem tamen censeo sententiam negativam, quam defendunt Sanch. lib. 7. disp. 66.; Henr., Bonac.; tum quia non apparet tanta indecentia in hoc, quod Privignus ducat Novercam, quanta in eo, quod filius ducat matrem in uxorem; tum etiam quia, ut notat Perez disp. 31. sect. 2., aliquando matrimonia Privigni cum Noverca celebrata sunt: Et Concilium Agatense can. 61 licet prohibeat matrimonium inter Privignum,

&

& Novercam, simul tamen praecipit, ne huiusmodi matrimonia ante talem prohibitionem contracta dissolvantur; quod evidenter demonstrat, talia matrimonia non esse iure naturae irrita.

V. Quæritur secundo; Quem effectum pariat affinitas superveniens matrimonio; Verbi gratia, si Titius committat incestum cognoscendo sororem, vel consobrinam suæ uxoris?

Respondeo, duplicem esse effectum talis incestus; Primus est, quod Titius non possit petere debitum a sua uxore, antequam dispensetur, saltem a Mendicante privilegiato; quamvis possit, & teneatur reddere debitum. Secundus est, quod mortua uxore, non possit aliam ducere, ex cap. i. de eo, qui cognovit consanguineam; quod si aliam ducat, non potest ab ea petere debitum: Quamvis hæc poena ex Sanch. lib. 7. disp. 17. non sit in usu.

ARTICULUS VIII.

De Impedimento Criminis, & Raptus.

- I. Crimen Homicidii, Adulterii, & Raptus matrimonium dirimunt.
- II. Plura requiruntur, ut Homicidium pariat hunc effectum.
- III. Quid requiritur, ut Adulterium dirimat Matrimonium?
- IV. Promissio facta a Titio femina de illa ducenda post mortem suæ uxoris est illicita simul, & invalida.
- V. Raptus quid sit? Et quando matrimonium dirimat?
- VI. Validum est matrimonium inter Raptores, & Raptam, si ea volente, & invito dumtaxat parentibus rapiatur.

I. Impedimentum Criminis est Ecclesiasticum; unde apud Infideles matrimonium non dirimit. Cri-

men autem, quod inter fideles matrimonium dirimit, duplex est iure antiquo, videlicet Homicidium, & Adulterium, quibus iure novo ex Trident. additum est tertium, videlicet crimen Raptus.

II. Quæritur nunc primo; Quanam condiciones requirantur, ut homicidium dirimat matrimonium?

Respondeo cum Bonac., & aliis communiter, ad hoc, ut matrimonium Titii, verbi gratia, cum Terefia sit invalidum, requiri primo, ut Titius occiderit Bertam suam uxorem, vel per se, vel per alium: (& eadem est ratio, si Berta occiderit suum maritum, ut invalide cum alio contrahat) Secundo, ut tam vir, scilicet Titius, quam femina, videlicet Terefia, qui matrimonium contrahunt, conspiraverint in mortem primæ uxoris, puta Bertæ; unde si solus Titius, vel sola Terefia machinata sit mortem Bertæ, matrimonium non dirimitur, nisi quando cum homicidio simul intercessit adulterium. Tertio, ut machinatio mortis Bertæ facta sit ad eum finem, quod contrahatur matrimonium cum Terefia. Addit Perez, & Vasq. quod quando committitur ab his homicidium cum intentione contrahendi matrimonium, talis intentio debeat manifestari exteriorius, ut talem poenam inducat. Ratio est, quia cum Ecclesia non iudicet de internis, non apponit impedimenta matrimonii propter solos actus internos.

III. Quæritur secundo; In quibus casibus adulterium dirimat matrimonium?

Respondeo, dirimere matrimonium primo, quando præter adulterium intervenit homicidium alterius conjugis commissum ad hunc finem, ut inter adulteros matrimonium contrahatur, ut modo diximus. Secundo, quando præter adulterium intercedit, seu potius